

[illegible]

[illegible]


MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
1033
12
DI FIRENZE
NAZ. CENTRALE

XXV[illegible]

ANT[illegible]

A1


DE. S. SPIRITVS. ADVENTV
Oratio Habita à
PETRO. ANT. ANTINORIO. FLORENT
Sem. Rom. Conu
AD. SANCTISS. D. N. VRBANVM. VIII
Romæ Typi
Zannetti
1634





ILLVSTRISS. PRINCIPI

FRANCISCO CARDINALI BARBERINO

PETRVS ANTONIVS ANTINORIVS F.



VOD tuos audeam oculos occupare, qui nuper auribus ſatis obſtrepui; videri poſſem in publica peccare plus æquo commoda, niſi tua me purgaret humanitas, quam qui non adeunt, aut offendunt, aut ne-

ſciunt. collocari apud te debet oratio, quæ lucem quærit! nam vmbræ quidem habet ipſa multum in ſe. Sed & hæc ipſa tuo lumine gaudebit obſcuritas. modò benignitatis ſolem è ſuo quaſi meridie maieſtatis ad eam tantiſper inclines, vt præ ſuis ipſa tenebris non abeat in ſplendorem; amplificabitur certè non parum; nam & ſole in occaſum prono vel ipſæ ſtatim vmbræ maiores fiunt. Equidem ingratus viuerem, niſi hodie linguas expediret, ac plueret mihi vel Cælum: nempe vt quoniam humana non poſſum, diuina ſaltem eloquentia, hoc eſt ea, quæ Superis perſuadet, tuum iſtud beneficium & prædicem, & perſoluam. Vale.

ORA-



ORATIO



ERRARVM orbis atque homo peccati vetus, & primus, qui suis ipse criminibus prope destructus nouissimo nuper virorum emoriente renasci cœperat & reformari; hodierna demum die supremam vitæ manum ac lineam felicitatis vltimam accepit, B. P. Nimirum Diuinus ille faber salutis nostræ, doloris sui tuis cum supplicijs operam dabat, prima viuendi elementa, purissimi nempe san-

guinis humorem, ac terram integerrimi corporis infudit nobis vere rubram, ac virginem. nunc cetera vitæ principia, quæ supererant, ingens ille non iam pœnarum opifex, sed immortalitatis inuentor, è Cœlo dispensat, aërem nempe Diuinum ac viuidum, tamquam aduenientem Spiritum vehementem, atque ignem, caloremque vitalem; eaque communicat, dolorum ac mortis, non sanè victima velut ante, sed victor; vt opus humanæ salutis, quod inter pœnas incœperat, denique inter gaudia consummaret. Sed quid ille nuper ignis vitæ dispertitus, ac multiplex in linguas abijt? an vt propius ad animos penetraret? enim vero, si quando fuit, certe nunc est vita mortalium in manu linguæ, vel potius in cordis manu; quandoquidem video non aliam cordis manum esse, quam linguam. Sane vix auram Spiritus recreantis, ac verè spiraculum vitæ diuinitus afflatum sibi traxit humanitas: cum subito visa est è suis quasi cineribus reuiuiscere, atque animi palpi-

tan-

tantis argumento lacertos etiam vel extincta commouere mortalitas. Quid enim Apostoli, prima illa renascentium hominum veluti semina Diuinis repente caloribus simul, atque aura recreati, quam subito cœperunt loqui? Nimirum viuit ac spirat vetus ille mortalis Adam extinctus olim in se, at recreatus demum & rediuiuus in nouo, quas rogo, quas edit indices vitæ voces in omnes plane terrarum angulos exauditas? Et vero reparator hominum Deus, cum nuper emisit spiritum oris sui, exclamauit voce magna: quo fremitu concussus est orbis, nutauitque moles vniuersa terrarum. Idem hoc tempore mortalitatis instaurator, ac domitor mortis, cum simul emittit Spiritum cordis nostri; simul Apostolorum exclamat in lingua, quorum viuit in pectore. & miremur si validis hisce clamoribus, commota sit rerum vniuersitas, & facies immutata regnorum? Fuit sane, quis nesciat? fuit, inquam, primus ille communis hominum

num parens Adam, mundi non tam maximus amplissimusque princeps, quam minimum & breue compendium, vtque manu portaturus erat orbem, sic illum præferebat in nomine: cuius planè singula elementa singulas æque terrarum plagas, ad orientem, occasum, meridiem, ac septentrionem sitas, opportuna vocum significatione commonstrant. Sed hæc iura dominatus æquissima cum ipso rerum Domino prorsus extincta, reuiuiscunt hodierna die, cum aura vitæ Diuinitus allapsa recreatus Adam ita factus est in animam viuentem: vt eius iam cœperit palpitare vel nomen, ac sui ipsum muneris admonere. Enimuerò Apostoli, in quibus primo reuixit Adam, vix accepere spiritum corde, quem redderent ore, cum inscio quodam renascentis instinctu naturæ, & velut admonitu nominis simul, ac numinis excitati, possessionem adire cœperunt, quam Adam ante perdiderat, quadripartitas mundi regiones sibi palam, atque publicè

cè destinare ; domini cui singulæ res debentur, aggredi , occupare , moderari sapientia , recreare laboribus , sanguine consignare ; vno verbo , vitam, ac spiritum quem acceperant , extincto terrarum orbi , ac nobis ipsis per quam liberaliter vexillare . Totum muneris hoc tui est , nostræ molitor salutis , atque artifex , quod viuo, & vigeo ; si vigeo tuum est : tuum est , inquam ; o vitæ pater , qui nisi abijsses , Paraclytus ad nos Spiritus non venisset . Tuo nos funere viuimus , tuo dumtaxat anhelitu respiramus , elementa , quæ trahimus vitæ sunt isthæc tua . Feruntq; moriente Domino cum Hyerosolimitani velum templi scissum est, ac dissipatum in partes ; candidissimam inde columbam abire visam , ac supra caput vrbis , veluti præsagio felicitatis , insistere . Nimirum & velum corporis tui , hoc est templi verè Cælestis , nec manu facti , non vna planè scissura , sed multis omnino vulneribus laceratum , miserè tibi

ac peracerbè, fauſté nobis ac fortunate diſſilijt. En apertis ex illis hyatibus abit ad nos Columba ſpirabilis, ignea, plena delicijs, cuius in pennis ſalus, cuius in gemitu voluptas, cuius in oſculis vita, quæ corda mortalium iam extincta & linguis lambit vt formet, & flammis fouet vt ardeant, & Spiritu perflat, vt vigeant. Huius auſpicijs Adam hodierna demum die viuere didicit, qui nos multo iam ante docuerat mori.



Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus Magister, & Socius Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Prædicatorum Sacri Palatij Apostolici Magistri.